



## **Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio**

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt  
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Complectens Constitutiones Benedicti XIV. ab Anno 1748. usque ad  
Annum 1752 - Cum Supplemento ad Ann. 1742. 1745. 1746. & 1748

**Luxemburgi, 1754**

XII. Parochi jurisdictio in Tertiarias conviventes intra Paræciæ fines. 17.  
Septembris.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74772](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74772)

XII.

Parochi Jurisdicio in Tertiarias conviventes intra Paroeciae fines.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Decretum a Congregatione Concilii in Causa Januensis editum.

EMANAVIT nuper a Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum in causa vertente inter dilectum filium modernum Rectorem Parochialis Ecclesiae S. Vincentii Civitatis Januensis, ex una, ac dilectas in Christo Filias puellas Tertiarias nuncupatas Ordinis S. Dominici ex altera partibus, super praesensione subjectionis eidem Rectori, & exemptione ab illo, praevia propositione dubii: an puella tertii Ordinis S. Dominici Civitatis Januae, nuncupata Tertiaria, subiecta sint jurisdictioni Parochi in casu &c. decretum tenoris sequentis, videlicet: Die xxvii. Aprilis MDCCXLIX. Sacra Congregatio Eminentissimum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum respondit affirmativè. A. Cardinalis Gentili Praefectus. F. A. Furietus Secretarius: Loco ✠ Sigilli.

Idem Decretum auctoritate Apostolica confirmatur.

§. 2. Cum autem, sicut praedictus Rector Nobis subinde exponi fecit, ipse decretum hujusmodi, quod firmiter subsistat, & servetur exactius, Apostolica confirmationis nostrae patrocinio communiti summopere desideret. Nos ipsum Rectorem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis, a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium tantum consequendum harum serie absolventes, & ab-

solutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinatis, praesertim decretum auctoritate Apostolica tenore praesentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolica firmitatis robur adjicimus; salva tamen semper in praemissis auctoritate memorata Congregationis Cardinalium.

§. 3. Decernentes easdem praesentes literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit, plenissime suffragari, & ab illis inviolabiliter observari. Sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Caularum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiti debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non Ecclesiae, & Ordinis hujusmodi etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanens, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majoris sub Annulo Piscatoris die xvii. Septembris MDCCXLIX. Pontificatus Nostri Anno Decimo.

D. Card. Passioneus.

XIII.

Ad Monasteria Monialium ne quis etiam exemptus, & Ecclesiastica Dignitate praesulgens, accedat, sine Ordinarii Localis permisso.

Ad Archiepiscopos, Episcopos, aliosque Locorum Ordinarios per Ecclesiasticam Ditionem constitutos.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabilis Frater, Salutem & Apostolicam Benedictionem.

Facultas accedendi ad Monialium Coenobia sine permisso Ordinarii ab aliquibus praesumpta.

GRAVISSIMO animi mœrore affecti fuimus, dum a certis viris renuntiatum Nobis est, aliquos esse Praesules, qui regimen Civitatum Ditionis Nostrae obtinentes, nec habitam, immo nec petitam quidem ab Episcopis, Locorumque Ordinariis facultate, ad Monialium Monasteria se conferunt, & liberè cum iis colloquantur; Synodorum decreta, & Episcoporum Constitutiones omnino infringentes, in quibus hujusmodi licentia dignis poenis prohibetur: Sed non solum in iis Civitatibus, in quibus sunt cum imperio, eos ita se gerere audivimus; verum in ceteris quoque, per quas casu transeunt, ea ratione innixi, quod a peculiaribus Episcoporum, aliorumque Ordinariorum Constitutionibus sese exceptos esse contendunt. Haec, quae ad Nos delata sunt, excipere, ac credere non dubitavimus; quum id Nobis etiam Anconitanam, & Bononiensem Ecclesias regentibus coram contigerit, quamvis aegre id ferentes,

Sopra l'Accesso ai Monasteri delle Monache, che da taluni si fa senza le opportune licenze.

Agli Arcivescovi, Vescovi, ed Ordinarij dello Stato Ecclesiastico.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabilis Frater, Salutem & Apostolicam Benedictionem.

NON senza grave molestia dell' animo nostro ci è stato da persone degne di fede riferito portarsi alle volte i Prelati locali Governatori delle Città del nostro Stato ai Monasteri delle Monache, parlare ancora liberamente con esse, senza aver chiesta, ed ottenuta l'opportuna licenza dai Vescovi, ed Ordinarij de' luoghi, contravenendo alle disposizioni Sinodali, o Costituzione Episcopali, nelle quali vien prescritto sotto le dovute pene il non accostarsi ai Monasteri delle Monache, e parlare con esse, senza le opportune licenze; e lo stesso praticarsi anche da Prelati, e Governatori, che essendo Governatori d'una Città, per qualche loro contingenza passano per un'altra, andando nella stessa maniera ai Monasteri delle Monache: pretendendo tutti i predetti di fare quanto fanno, col fondamento d'esser esenti dalle particolari Constitutioni de' Vescovi, ed Ordinarij, che proibiscono

Clausula, & Decreta.

Derogationes.

Dat. die 17. Septembris 1749.

Facoltà prefata di accedere alli Monasteri delle Monache senza la licenza dell' Ordinario.